



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CLXVI. Lucius II. Anno Christi 1144. Conradi III. 7. Manuelis Comneni 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

hâc voce: *De antiquitate Urbis*: siquidem ejus patria erat *Urbs vetus*. Itaque cum facile sit, verum esse Vatem de rebus præteritis, vaticinatio illa facile aptatur Pontificibus, qui annum 1590. & Gregorium XIV. præcesserunt; iis autem qui deinceps fuerunt, minùs commodè atque per vim. Vide Magnum Dictionarium Historicum Ludovici Moreri editum Basileæ. 1733. tom. 5. Verbo *Malachia* pag. 60. & Valerianii Elementa Historiæ edita Venetiis anno 1738. tom. 3. pag. 217.

CLXVI

LUCIUS II.

ANNO CHRISTI 1144.

CONRADI III. 7. MANUELIS

COMNENI 2.

**L**UCIUS II. antea *Gerardus Caccinimicus*, *Bononiensis*, quem *Honorius II.* ex *Canonico Regulari Caradimlem* cooptaverat, (1) tribus diebus post *Callisti II.* mortem, IV. Idus Martii in ejus locum sublectus est. Hoc Pontifice *Alphonsus Dux Lusitaniæ* dititionem suam vectigalem fecit Ecclesiæ Romanæ annuo censu unciarum quatuor. (2) In hunc rebellantes *Arnaldistæ Romani*, non solum priscam Senatoriam dignitatem instaurare, sed

Bar. an.  
1144. §. 1.  
3 4. 5.  
Pag. §. 1.  
6. 8.

sed etiam Patricium, cui tanquam Principi parerent, instituere ausi sunt, omnesque Ecclesiæ redditus ei adjudicare, affirmantes, Pontifici decimas & oblationes satis esse debere. Lucius dum rebelles compescere, & Capitolio expellere, eo ascendens cum exercitu, adnititur, lapidis ictu percussus est, ex quo V. Kal. Martii anno 1145. obiit cum *menses undecim, & dies quatuordecim* functus esset munere Pontificali.

## ANNOTATIONES.

(1) Sigonius lib. 11. De Regno Italiæ ad an. 1144. pag. 452.

Joannes Diaconus De Ecclesia Lateranensi cap. 8. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 568. *Lucius II. vixit in Canonicali proposito longo tempore in Ecclesia ista.*

(2) Victorellus in Addit. ad Ciaconium in Vita Stephani IV. tom. 1. pag. 542. *Regna Ecclesiæ Romanæ tributaria recenset Gretserus lib. De munificentia Principum in Sedem Apostolicam cap. 11. Croatia, Dalmatia, Aragonia, Hispania, alia, Dania, Gallia, Portugallia, Anglia, Hibernia, Scotia, Polonia, Hungaria, Bohemia, Suecia, Norvegia, Sardinia, Saxonia, Urbem præterea Tarraconensem*

*sem à Berengaria Comite Romana eidem Ecclesie olim donatam, Episcopatum in super Bambergensem, Ducatus Apulia, Calabria, Sicilia, Principatum Capue, Imperium Romanum. Vide annotat. 6. ad Gregorium III. & annotat. 13. ad Gregorium VII.*

CLXVII.

## EUGENIUS III.

ANNO CHRISTI 1145.

CONRADI III. 8. MANUELIS

COMNENI 3.

**P**ost ridie mortem Lucii II. III. Kal. Martii *communi voto Cleri & populi* subrogatur Eugenius III. *Bernardus* antea dictus, Abbas Romæ in Cænobio S. Anastasii Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi Claravallensis discipulus, contra decretum Stephani III. ut Pontifex ex Cardinalium collegio legeretur. (1) Tertio post die, quàm electus fuerat, sibi ab Arnaldistis metuens, cum Episcopis & Cardinalibus noctu profugit ad Cænobium Farfense, positum in Sabini quinto & vigesimo ab Urbe miliario, ubi IV. Nonas Martii Pontifex consecratus est. A Cænobio Farfensi

Bar. an.

1145. §. 2.

3. 13. 33.

Pag. §. 3.

4. 6.